



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. III. De remissione peccatorum mortalium,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

olim Deo sacrificia ad placandum ipsum pro peccatis, ut scribit Plato lib. 10. de legibus. Unde Ovidius 1. de Ponto, de diis suis ait:

*Sapē levare pœnas, ereptaque lumina reddunt,
Dum bene peccatis pœnituisse vident.*

DISPUTATIO III.

De remissione peccatorum
mortalium.

Ad questionem 86. D. Thoma.

Explicata naturā pœnitentiæ, tam in ratione virtutis, quam in ratione sacramenti considerata, agit D. Thomas de præcipuis ejus affectibus: Primò quidem de remissione peccatorum mortalium quaest. 86. Deinde de venialium remissione quaest. 87. Postea horum effectuum irrevocabilitatem explicat, & peccata per pœnitentiam remissa non redire per subsequens peccatum ostendit. Demum quaest. 89. de alio differit pœnitentiæ effectu, nimirum de recuperatione virtutum, ac reviviscencia meritorum, per peccatum præcedens mortificationem. De his omnibus in hac & tribus sequentibus disputationibus nos etiam breviter differemus.

ARTICULUS I.

*An per pœnitentiam omnia peccata mortalia,
quantumcumque gravia, remitti
possint?*

Notandum primò quod hanc quaestionem non solum esse de sacramento pœnitentiæ, sed etiam de virtute pœnitentiæ, quæ per contritionem extra sacramentum vim habet justificandi, & remittendi peccata, ut infra dicemus.

Notandum secundo, dupliciter intelligi posse, quod aliqua peccata non possunt remitti per pœnitentiam, Primò quia non possunt subijci pœnitentiæ, defectu auxilii ad pœnitendum necessarii. Secundo, quia licet illi subijciantur, non est in illa virtute sufficiens ad delenda ejusmodi peccata. Et in hoc tantum sensu præsentem difficultatem movemus, quia in primo sensu eam in Tractatu de prædestinatione plenè resolvimus: ibi enim cum duobus Illustrissimis Cardinalibus, Cajetano scilicet, & Bellarmino, docuimus, Deum peccatoribus ex cæcitate ac induratis subtrahere interdum, in pœnam præcedentium peccatorum, omnia auxilia supernaturalia, & sui desertores ita deserere, ut omni tam sufficienti quàm efficaci gratiâ, saltem per aliquod tempus, priventur, juxta illud Isidorus lib. 2. de summo bono cap. 15. Nonnulli ita despicuntur a Deo, ut deplorare mala sua non possint, etiam si velint. Et istud Augustini de natura & gratia cap. 67. Illud est peccati pœna justissima, ut qui rectum facere cum posset noluit, amittat posse cum vellet. Hanc sententiam expressè docet Aravius hic art. 2. dubio 1. ubi licet admittat auxilia ad pœnitendum sufficientia omnibus offerri a Deo; negat tamen illa semper, & pro omni tempore, & in omnibus adultis, intrinsecè recipi, & citat pro

hac sententia Sorum, Bannem, & Negron. Hi præmissis, pro resolutione difficultatis proferunt contra Novatianos, Montanistas, & alios, quos hæreticos, asserentes nullam pœnitentiam esse validam pro peccatis quæ committuntur post baptismum, & quædam esse peccata adeo gravia, ut nullâ valeant pœnitentiâ deleri.

Dico breviter, tam in virtute, quàm in sacramento pœnitentiæ, esse efficaciam sufficientem ad delenda quæcumque peccata, illius sufficiens ita ut nullum sit peccatum, quod remissionem possit, si vera de illo habeatur pœnitentia.

Conclusio est certa de fide, & probatur primò ex iis Scripturæ testimoniis, in quibus dicitur, B ulla limitatione aut restrictione promittitur contritis remissio omnium peccatorum. Genes. 18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, omnium iniquitatum ejus non recordabor. Et statim subdit, Nunquid voluisti: mea est misericordia, dicit Dominus Deus, & non est contritio à viis suis, & vivat? Et cap. 33. Viro qui dicit, Non timeo mortem, id est nullum impium vero mortem, quæcumque impietate fuerit, non de sacramento pœnitentiæ Joan. 10. absoluit, sine ulla limitatione asseritur: Quorum remissionis peccata, remittuntur eis. Et Matth. 18. Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælis. Et cap. 19. Christus ait Petro: Non dico tibi, sed septuagies septies, hoc est in quocumque numero fuerint peccata, remittenda esse per potestatem traditam sacerdotibus in sacramento pœnitentiæ. Idemque significatur in Parabola illius prodigi, qui post multa crimina in leprosum veniam à patre conlequutus est. Unde Christus logus serm. 3. Delicta non videt vis amori, si non pater peccata filii credemini osculo, clausit ampullam, & ait, Certe si abscissimus, si substantiam patris tuam herose differimus, si quid unquam commissum honoris & delicti, si ad impietatem præsumptum, si tam venimus ad ruinam, surgamus disceptare ad patrem, tali invitati redimus exempli.

Probatum si cundò conclusio ex decretis Conciliorum, nam in Concilio Lateranensi sub Innocentio 111. cap. Firmius de summa Trinitatis sub finem, & in Trident. sess. 14. can. 1. in receptione asseritur, fideles, post Baptismum in peccatum prolapsos, per veram pœnitentiam posse semper reparari & hoc sacramentum institutum fuisse pro ipsis Deo reconciliandis, quoties in peccatum post Baptismum incidere. Item in decreto dist. 1. de pœnitentia cap. Nemo, desumpto ex Ambrosio lib. 1. de penit. cap. 1. sic dicitur: Deus autem nullum crimen exceptum, peccata omnia donavit.

Tertiò probatur, quia opposita sententia derogat non solum divine fidelitati, ut ostensum est, sed etiam pugnare videtur cum summo illius amore, quo Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credidit in eum non pereat, Joan. 3. & quo propria filius non perierit, sed pro nobis omnibus traditus est, ad Roman. 8. Nam quo pacto pro nobis omnibus tradidisset illum, ut omnis qui in eam credidit, non periret, si non omnia peccata possent perire, & conversionem in Christum delicti? Valde etiam derogat copiose redemptioni Christi, à qua nullus mortalis, quantumcumque peccator, excluditur, & ad quam pertinet etiam universalis redemptor omnium peccatorum, quia

illud 1. Joan. 2. Si quis peccaverit (hoc est quod cumque genere peccati) advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum Iustum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Item, Vincereur quodammodo Deus ab homine si homo peccatum vellet delere, quod Deus delere non vellet, ut ait S. Thomas hic art. 1. in corpore. Unde Novatianorum & Montanistarum error, multum derogat misericordiae Dei, de quo dicitur Joel 2. quod benignus & misericors est, & pater, & multa misericordia, & praevalens super malitia, quod ad praestantiam bonitatis divinae peccatori parentis quidam Interpretes referunt; nempe ut praestabilis eo sensu dicatur, quo excellens: Gracè porro est utraque in tali natura, id est super malitiis penitens: quod sic explicat ibi Hieronymus, ut si nos egerimus penitentiam super peccato, ipsum quoque comminationis penitentiam, & mala quae comminatus est non inferat, nostraque mutatione sententia ipse mutetur. Quod intelligi debet de mutatione extrinseca, & ex parte effectuum quos ad extra producit; Deus enim per nostram penitentiam non mutatur intrinsicè, sed tota mutatio se tenet ex parte nostri; quamvis de nostra ad Deum conversione perinde sequatur, ac si Deus ad nos converteretur. Non tectus ac itique fune marinae petrae injecto, quia per illum & seipsos & navicula ad rupem attrahunt, ob imperitiam ejus rei, non se putant, ad rupem accedere, sed rupem paulatim ad seipsos appropinquare. Quo exemplo utitur Simplicius in cap. 38. Enchiridii Epicteti quaest. 3.

Contra istam conclusionem, praeter testimonia ex cap. 6. & 10. Epistolae ad Hebraeos, à Novatianis opposita, & disp. 1. art. 1. explicata, obijciunt primum quod Esau non invenit penitentiae locum, licet cum lachrymis quaesivisset eam: ad Hebraeos 12. & Antiochus penitens misericordiam consecutus non fuerit, 2. Machab. 9.

Sed facile responderetur cum D. Thoma hic art. 1. ad 1. quod Esau non verè penituit, quod patet ex hoc quod dixit, venient lachrymae patris mei, & occidam Jacob fratrem meum. Similiter etiam nec Antiochus verè penituit; dolebat enim de culpa praeterita, non propter offensam Dei, sed propter infirmitatem corporalem, quam patiebatur.

Dici etiam potest; prioris loci sensum esse, non potuisse Esau lachrymis suis efficere, ut patrem suum Isaac penitenter benedictionis datae Jacob, cujus retractionem consternatus, & rugiens postulabat, Genes. 27.

Obijciunt secundò: Christus Matth. 12. Marci 3. & Luca 12. ait peccatum in Spiritum Sanctum nunquam remitti, neque in hoc saeculo, neque in futuro, & 1. Joh. 5. sic dicitur: Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis, quia scilicet non potest remitti: Ergo sunt aliqua peccata, pro quibus nulla sufficiens est penitentia.

Ad primum dicendum cum D. Thoma 2. 2. quaest. 14. art. 3. quod sicut aliquis morbus dicitur incurabilis secundum naturam morbi, per quem tollitur id per quod morbus potest curari, puta cum morbus tollit virtutem naturae, vel inducit fastidium cibi vel medicinae, licet talem morbum DEUS possit curare. Ita etiam peccatum in Spiritum Sanctum dicitur irremissibile secundum suam naturam, inquantum excludit ea per quae fit remissio peccatorum. (nimirum auxilia divinae gratiae, quorum largitio specialiter Spiritui Sancto tribuitur) Per

hoc tamen non pracluditur via remittendi & sanandi omnipotentia & misericordia Dei; per quam aliquando tales quasi miraculose spiritualiter sanantur. Unde idem est hoc peccatum non remitti, ac difficile remitti; quod enim difficile sit, impossibile moraliter reputatur. Addit S. Doctor hic art. 1. ad 3. dici hoc peccatum irremissibile in hoc saeculo, & in futuro, quia punitur in hoc saeculo, & in futuro.

Ad secundum respondeo cum D. Augustino lib. 1. Retr. cap. 19. & Beda in locum citatum Epistolae D. Joannis, ibi sermonem esse de peccato impenitentiae finalis; quod specialiter vocatur peccatum ad mortem, quia & cum morte temporali conjungitur, & infallibiliter adjunctam habet mortem aeternam; De quo peccato dicit Joannes, Non pro illo dico ut roget quis, quia extenditur extra statum viae, in quo de lege ordinaria non fit remissio. Vel ut alii volunt, per peccatum ad mortem, intelligit peccatum aliquod gravissimum, à quo homines rarissime & difficillimè convertuntur; pro quo non prohibetur absolute ut nullus oret, sed ut non quicumque, sed aliquis magnae sanctitatis vir; cum enim tale delictum gravissimum sit, magno eget deprecatore. Unde Augustinus loco citato docet de nullo quamvis pessimo in hac vita esse desperandum; Quia pro illo (inquit) non imprudenter oratur, de quo non desperatur.

ARTICULUS II.

Utrum peccatum mortale sine penitentia deleri nequeat, nec unum peccatum remitti sine alio?

Dico primò, regulariter & per se loquendo, ad remissionem peccatorum mortalium extra sacramentum, requiri in adultis actum penitentiae formalem, nimirum contritionem, quae doleat de peccatis commissis. Ita D. Thomas hic art. 2. ubi dicit ad remissionem offensus requiri (scilicet regulariter) quod voluntas detestetur peccatum, cum proposito emendae, quod pertinet ad penitentiam formalem. Idque constat manifestissimis Scripturae testimoniis, quibus asseritur non dimitti peccatum absque penitentia: Eccl. 2. Si penitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini. Luca 13. Nisi penitentiam egeritis, omnes simul peribitis.

Extat etiam definitio Tridentini sess. 14. cap. 1. sic dicentis: Fuit penitentia universis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent, quovis tempore ad gratiam & justitiam assequendam necessaria, illis etiam, qui Baptismi sacramento ablupeverissent. Et rursus cap. 4. Fuit quovis tempore (inquit) ad impetrandam veniam peccatorum, is contritionis motus necessarius. Loquitur autem Concilium de contritione formali liquet, tum ex ejus definitione, quam ibi tradit; tum etiam, quia loquitur de contritione ad sacramentum penitentiae necessaria, quam formalem esse debere, nemo dubitat.

Ratio etiam suffragatur: Homo enim qui se convertit in Deum, non solum tenetur recedere à peccato, ut est malum Dei, & quatenus opponitur bono divino, sed etiam debet recedere ab illo, ut est Dei injuria, & quatenus violat jus divinum; ratio enim naturalis postulat, ut qui injuriam intulit, de ea doleat, & inquantum fieri potest, eam compensare conetur: Sed dolor de

peccato, ut est injuria Dei, & quatenus opponitur juri divino, pertinet ad poenitentiam, & non ad charitatem, quæ solum habet detestari peccatum, in quantum est malum Dei, & prout bono divino contrarium, ut disput. præcedenti art. 3. ostendimus: Ergo regulariter & per se loquendo ad justificationem adulti requiritur actus formalis poenitentiae.

14. Dico secundò per accidens, & in aliquo casu extraordinario, ad remissionem peccatorum sufficere poenitentiam virtutalem.

Probaturs breviter conclusio, contra Melchiorum Canum, & Petrum à Soto, existimantes ad justificationem & remissionem peccatorum, semper & indispensabiliter requiri contritionem, quæ voluntas doleat de peccato, illudque detestetur. si aliquis ita subito raperetur ad martyrium, ut non haberet tempus recogitandi peccata, & eliceret actum charitatis, vel etiam actum attritionis cum actuali martyrio, reciperet gratiam, &

justificaretur: Tum quia, ut in tractatu de Baptismo ostendimus, passio pro Christo suscepta, obtinet vim Baptismi, & confert gratiam ex opere operato: Tum etiam, quia actus charitatis, cum sit actus amicitiae, haberi nequit sine gratia; amicitia enim requirit mutuum amorem, amor verò Dei erga nos, in ordine ad finem supernaturalem, nequit esse sine gratia sanctificante, ut

in tractatu de gratia demonstravimus; unde si aliquis in peccato existens, ex oblivione omnino inculpabiliter existimet se nullum habere peccatum mortale, & actum charitatis eliciat, sine dubio ei remittetur peccatum, & justificabitur sine ullo actu formali poenitentiae, per solam virtutalem poenitentiam in actu charitatis tanquam in aliquo eminentiori contentam. Charitas enim operatur multitudinem peccatorum, ut dicitur 1. Petri 4.

Et 1. Joan. 4. *Qui manet in charitate, in Deo manet*: Non ergo ille qui elicit actum dilectionis super omnia, manet in peccato; alias haberet tunc duos ultimos fines, nempe Deum, ratione charitatis, & creaturam, ratione peccati mortalis; quod implicat, ut in tractatu de ultimo fine ostensum est.

Disput. 1.
art. 6.

15. Addo, non esse improbabile, posse peccatorem actum dilectionis DEI super omnia elicere; subindeque justificari, non tantum si Martyrium subeat, aut peccatorum oblitus sit, aut non advertat, ad eorum detestationem, sed etiam licet actu de illis cogitet, si tunc non urgeat necessitas exercendi formalem actum contritionis, nec insister præceptum procurandi justificationem per poenitentiam formalem. Nam si formalis poenitentia non est pro illo instanti necessaria ex præcepto, nulla est ratio cur sine illa nequeat actus formalis dilectionis exerceri: Atqui non constat quod sit ita necessaria ex præcepto, ut debeat adhiberi quotiescumque queritur peccatorum remissio; præceptum enim poenitentiae (ut communiter docent Theologi) non obligat statim post peccatum commissum, aut aliquo tempore determinato, nisi sit extrema necessitas, ut quando imminet periculum mortis, aut obligatio recipiendi vel administrandi aliquod sacramentum: Ergo &c. si tamen nollet peccator contèri, & præceptum contritionis pro illo instanti urgeret, neque sine gravi peccato ulterius differri posset, tunc peccator verum DEI amorem super omnia habere non posset, nisi haberet formalem poenitentiam & dolorem de peccato, quia repugnat aliquem verum DEI amorem super omnia habere,

nisi habeat voluntatem implendi omnia præcepta, quando urget eorum obligatio, prout docet Christi ad Discipulos Joan. 14. *Si diligere mandata mea servate*.

Ex dictis in hac conclusione intelligitur, quod quando poenitentia dicitur necessaria necesse est medijs ad salutem, hoc debet intelligi de poenitentia formali aut virtuali; nonnisi quatenus ut ostendimus, ad justificationem & salutem sufficit sola poenitentia virtualis, nimirum actus cum actuali martyrio, vel actus charitatis, in quo tanquam in aliquo eminentiori tota virtus & efficacia poenitentiae continetur, ideoque virtualis poenitentia dicitur.

Dico tertio, de potentia Dei absoluta, peccata remitti possunt, absque ullo actu poenitentiae tam formalis quam virtualis. Ita ex Thoma docent Ledesma, Nugno & alij, contra Petrum Soto, & Dominicum Soto, id repugnare existimantes.

Probaturs primò conclusio: Potest Deus peccatorem dormientem, ac proinde nullum poenitentiae formalis aut virtualis actum elicientem, justificare, infundendo gratiam & charitatem. Atqui in tali casu peccata remittuntur: Ergo de potentia DEI absoluta, peccata remitti possunt, absque ullo actu poenitentiae tam formalis quam virtualis. Minor constat, nam gratia & charitas ex natura rei repugnant cum peccato, quia habent effectus formales oppositos; gratia enim reddit hominem Dei amicum, & ipsam gratiam & acceptum, & charitas ipsum in Deum tanquam in ultimum finem convertit: At verò peccatum reddit hominem Deo exolum, & ejus amicum, ab eoque ut ab ultimo fine ipsum avertit. Major autem probatur: Tum quia actus poenitentiae formalis aut virtualis, non est forma justificans formaliter hominem sed tantum dispositio ad formam justificantem, scilicet gratiam, ut in tractatu de justificatione contra Vasquez ostendimus: Deus autem potest de potentia absoluta producere & communicare formam sine dispositionibus, ut etiam patet in naturalibus.

Tum etiam, quia Deus in Sacramento Baptismi de facto infundit gratiam parvulis sine ipsorum consensu, & absque ullo actu ab ipsis elicio: Ergo id quoque poterit etiam extra Sacramentum, respectu adultorum.

Probaturs secundò conclusio: Potest Deus naturam hominis peccatoris assumere ad suam personam, etiam ipso homine nihil operante, nec actum poenitentiae formalis aut virtualis elicientem: Sed in tali casu peccatum non manet in illa natura sic assumpta: Ergo de potentia Dei absoluta potest tolli peccatum absque ullo actu poenitentiae tam formalis quam virtualis. Major constat, minor etiam est manifesta. Tum quia repugnat peccatum esse in homine qui est Deus, sic enim Deus, seu persona divina diceretur averti à Deo, habendo humanitatem aversem per peccatum. Tum etiam, quia si gratia habitualis est impossibilis cum peccato, quia est participatio divinae naturae, & sanctitatis increatae, illi gratia unionis, quæ est ipsamet Dei natura & sanctitas increata, expellit peccatum, & consistere nequit. De quo fusè in tractatu de incarnatione.

Probaturs tertio conclusio: Deus potest hominem peccatorem elevare ad visionem beatificam, in hoc enim nulla videtur esse repugnancia: Sed hoc ipso ille homo justificaretur & emendaretur.

daretur à peccatis: si enim peccatum non compariatur cum gratia, multominus cum beatitudine, quæ est gratia consummata, & perfecta unio cum Deo: Ergo sine pœnitentia potest tolli peccatum.

Objicies primò contra istam conclusionem: D.

20. Thomas hic art. 2. ait quod impossibile est sine pœnitentia remitti peccatum: Sed non loquitur ibi de potentia Dei ordinaria: Ergo vult non posse, etiam de potentia absoluta, remitti peccatum sine pœnitentia. Minor probatur: si loqueretur de potentia ordinaria, nulla esset differentia quam ibi statuit inter pœnitentiam ut est virtus, & inter pœnitentiam ut est sacramentum, dicens impossibile esse remitti peccatum sine virtute pœnitentiae, non autem sine sacramento pœnitentiae. Sequela patet, quia etiam sine sacramento pœnitentiae non potest remitti peccatum, de potentia ordinaria.

21. Respondeo negando Minorem, & ad ejus probationem, nego sequelam; differentia enim quam ibi statuit D. Thomas, consistit in eo quod sine pœnitentia ut est virtus, in nullo statu potest remitti peccatum, de via ordinaria, cum tamen sine sacramento pœnitentiae possit in aliquo statu remitti, in illo scilicet qui fuit ante legem Evangelicam: Sicut (inquit) remisit Christus mulieri adultera, ut legitur Ioan. 8. & peccatrici, ut legitur Luca 7. quibus tamen non remisit peccata sine virtute pœnitentiae.

Objicies secundò: Culpa est malum voluntarium: Ergo non potest tolli, nisi voluntate mutata.

Respondeo, concessio Antecedente, distinguendo Consequens; nisi voluntate mutata, per infusionem habitus gratiae & charitatis, concedo. Per actum pœnitentiae, nego. Si enim Deus peccatori dormienti habitum gratiae & charitatis infunderet, hoc ipso illum justificaret, & peccati maculam ab eo tolleretur; cum macula peccati in privatione gratiae habitualis consistat, ut in Tractatu de peccatis ostensum est, & impossibile sit remanere privationem cum forma opposita.

Dices, In eo casu tolleretur quidem macula peccati, ut est quid physicum, non verò ut est quid morale & voluntarium: Ergo non tolleretur ut habet rationem peccati habitualis.

Respondeo, negando Antecedens, nam quando aliqua sunt, etiam nobis nescientibus, in nostram utilitatem, censetur virtualiter seu interpretativè eis consentire; atque adeò talis peccator dormiens, censetur virtualiter & interpretativè infusioni habitus gratiae & charitatis, subindeque destructioni maculae peccati, seu peccati habitualis, consentire; unde statimque excitatus esset, aut intra breve tempus, eliceretur actum contritionis & charitatis, quia hoc ad suam Dei providentiam pertinet, quæ non vult destruere naturas rerum.

Objicies tertio: Implicat peccatum remitti adultero, nisi liberè convertatur in Deum: Sed non potest liberè converti in Deum, sine actu pœnitentiae formalis aut virtualis: Ergo nec ipsi peccatum remitti, sine formali aut virtuali pœnitentia. Major probatur: Non potest libera aversio à Deo tolli, nisi per liberam conversionem in Deum: Sed peccatum adulteri est libera aversio à Deo: Ergo non potest peccatum remitti adultero, nisi liberè convertatur in Deum.

Respondeo distinguendo Majorem, nisi liberè convertatur in Deum, actu, vel habitu, concedo. Actum semper, nego. Sicut enim aversio à Deo, quæ in peccato habituali reperitur, non est nisi habitualis (actualis enim cum peccato actuali Tom. V:

li transit) ita & per conversionem habituales ipsi oppositam potest tolli: talis autem conversio habitualis fit per habitum gratiae & charitatis à Deo infusus, unde ad illam actus pœnitentiae formalis aut virtualis non requiritur.

Dico quartò, pœnitentiam ita remittere omnia peccata, ut non possit, etiam de potentia absoluta, unum remitti sine alio. Ita D. Thomas hic art. 3. & Thomistæ communiter, contra Scotum, Suarezem, & alios, existimantes, Deum posse remittere peccata, per solam extrinsecam condonationem, absque infusione gratiae, & sine ulla intrinseca hominis mutatione, quos in Tractatu de justificatione fusè impugnavi. Unde ex principiis ibi statutis probatur breviter nostra conclusio. Non potest Deus, etiam de potentia absoluta, in statu elevationis naturæ humanæ ad ordinem supernaturalem, remittere peccatum, nisi infundendo gratiam. Sed non potest, etiam de eadem potentia, gratia simul stare cum aliquo peccato: Ergo non potest, etiam de potentia absoluta, remitti unum peccatum sine alio. Major loco citato, §. 4. fuit probata. Minorem etiam ibidem art. 5. variis rationibus demonstravimus: unde ad prædictum de justificatione Tractatum, Lectorem remittimus, ne eadem hic inutiliter repetamus.

ARTICULUS III.

An contritio perfecta semper habeat conjunctam remissionem peccati mortalis, etiam ante receptionem actualem sacramenti.

Partem negantem tenent aliqui Recentiores, existimantes contritionem charitate perfectam non semper, imò nec frequenter, annexam habere remissionem peccatorum ante susceptionem sacramenti, nisi in articulo mortis & in casu necessitatis, in quo nequit penitens adire Confessarium. Quam sententiam docuit Sylvius in editione prima Tractatus de pœnitentia, facta Duaci anno 1618. sed postea in tertia editione ejusdem operis, eam retractavit, seu correxit, dicens se id non intellexisse de contritione perfecta, sed de imperfecta, quæ communiter attritio appellatur, & quæ ante susceptionem sacramenti non affert secum gratiam justificantem & remissionem peccatorum. Et certè jure merito eximius ille Doctor, & de Schola Thomistica optime meritis, hanc retractavit sententiam; cum ea nedum omnibus Scholasticis, sed etiam variis Scripturæ, Conciliorum, & SS. Patrum testimoniis, nec non Summotum Pontificum decretis, apertissime contradicat, ut patebit ex dicendis assertionem sequenti.

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, contritio perfecta, quæ peccata dereftatur propter Deum summè dilectum, statim infallibiliter secum affert remissionem omnium peccatorum.

Probat primò ex Scriptura & SS. Patribus, dicitur enim Isaia 30. juxta versionem Septuaginta, *Cum reversus ingemueris, tunc salvus eris.*

Zz

Ubi

Ubi notanda est particula *tunc*, quæ significat nullam interponi moram inter reversionem peccatoris, per contritionis gemitum, & salutem ejusdem, per justificationis gratiam collatam, ut interpretantur SS. Patres, nam Leo Papa Epist. 91. ad Theodor. sic ait: *Miseriordia Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire: apud quem nullas patitur venire moras vera conversio, dicente Spiritu Dei per Prophetam, cum ingemueris, tunc salvis eris.* Item Celestinus Papa in Epistola ad Episcopos Galliarum cap. 2. *Vera* (inquit) *conversio, mente potius, quam tempore metienda est, dicente Prophetâ, si conversus fueris, salvis eris.* Unde 2. Regum 12. vix David ad Deum per poenitentiam conversus profert duo verba, *Peccavi Domino*, cum statim audit à Nathan, *Dominus quoque transiit peccatum tuum.* Ubi nota non dixisse Prophetam, *Dominus transferet peccatum tuum*, de futuro, sed *transiit*, de præterito; ut significaret, statim ad actum contritionis sequutam fuisse peccati remissionem. Quod alludens ipse David Psalm. 31. sic ait: *Dixi confitebor adversum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* In quem locum Augustinus loquens in persona Davidis: *Confessio* (inquit) *mea ad os nondum venerat, & Deus audivit vocem cordis mei. Vox mea in ore nondum erat, & auris Dei jam in corde erat.* Addit Prophetâ: *Pro hac* (id est, phrasi Hebræicâ, propter hoc) *orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno: ut nimirum similiter veniam peccatorum statim obtineat, & resurgat statim per contritionem, si labatur.* Quod diximus de contritione, idem de charitate dicendum est; cum enim actus charitatis totam vim & efficaciam contritionis eminenter contineat, statim animam purgat ab omnibus peccatis. Unde Chrysostomus homil. 7. in 2. ad Timoth. post medium: *sicut ignis ubi sylvam occupaverit, omnia purgare consuevit, ita & charitatis fervor quocumque incidit, omnia perimit, atque perturbat, quæ divinam segetem demoluntur, emundatque humum suscipiendis atque fovendis aliis seminibus.* Pergit: *Ubi charitas est, omnia subvertunt mala.* Et infra: *Plenitudo legis est charitas: cuncta nempe scelera quæ pacem perturbant, ubi charitas fuerit, solvuntur.*

Probatur secundò Conclusio ex Tridentino sess. 14. cap. 4. ubi dividit contritionem latè sumptam, in eam quæ est charitate perfecta, id est quæ procedit ex motivo charitatis, quæ stricte & magis propriè contritio dici solet; & in eam quæ imperfecta est, diciturque attritio, procedens ex motivo turpitudinis peccati, aut metu gehennæ: & hoc inter eas ponit discrimen, quod quando contritio est charitate perfecta, hominem Deo reconciliat, priusquam sacramentum poenitentiae actu suscipiatur, tamen non sine voto sacramenti, in ipsa contritione inclusio: contritio verò imperfecta, sive attritio, non potest per se & sine sacramento, perducere peccatorem ad justificationem, sed tamen ad gratiam in sacramento poenitentiae obtinendam disponit. Quæ doctrina Concilii cum Adversariorum sententia directe pugnat videtur.

Probatur tertio ex Bulla Pii V. & Gregorii XIII. contra Michaëlem Baium, hujus erroris Authorem, in ea enim damnatur hæc propositio Bii numero 67. *Per contritionem, & cum charitate perfectâ, & cum voto suscipiendi sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra ca-*

sum necessitatis, aut martyrii, sine actuali susceptione sacramenti. Et ista numero 31. *Charitas perfectâ, & sincera, quæ est ex corde puro & conscientia pura, & non ficta, tam in Catechumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Item hæc numero 32. *Charitas illa quæ est plenitudo legis, non est conjuncta cum remissione peccatorum.*

Nec valet quod aliqui respondent, nempe de his propositionibus Pontifices solum dantes posse habituales charitatem fieri cum poenitentia. Nam Bajus quem damnare intendunt, in contrariis propositionibus loquitur præcipue de charitate actuali; de ea enim charitate loquitur, quæ in dispositione prærequiritur ad remissionem peccatorum in sacramento obtinendam, ut constat ex propositione 67. Sed hæc est actualis, cum ad sacramenta suscipienda non disponatur per habitum, sed per actum. Ergo loquitur de charitate actuali. Item loquitur de charitate, quæ lex & præcepta adimplentur, ut liquet ex propositione 31. Hæc autem non est habitualis, sed actualis, cum non per habitum, sed per actum, præcepta adimpleantur. Ergo &c.

His accedit Catechismus Romanus, qui de sacramento poenitentiae §. 2. docet contritionem statim peccata remittere, hominemque Deo perfecte reconciliare: quæ etiam sententia tenentibus nostris concepimus, peccatorum remissionem nobis à Deo tribui. Idque ibidem confirmat, cum ex verbis Psalmistæ supra relatis: *Dixi confitebor adversum me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei.* Tum ex verbo decem Leproforum, qui Lucæ 17. à Christo ad Sacerdotes missi, ut à lepra mundarentur, mandati sunt, antequam ad illos pervenirent, Et cum colligit, eam vim esse contritionis, ut illius locum omnium delictorum veniam statim à Domino impemus, etiam antequam perveniamus ad sacramentalem absolutionem.

Probatur quartò conclusio ex duplici ult. Ecclesiæ, quæ primò permittit ut peccatores sine consensu peccati mortalis, accedant ad sacramentum, etiam illa quæ vivorum appellantur, quia supponunt statum gratiæ, dummodo permittant actum contritionis: exceptâ Eucharistiâ, de qua ratio id etiam permittit in casu necessitatis: Ergo Ecclesiæ supponit eos per contritionem justificari, & in sacramento poenitentiae. Item Summi Pontifices indulgentias sæpe concedunt solis contritis, & non confessoribus: Ergo hæc concessio supponit, posse peccatores per solam contritionem confiteri remissionem peccatorum, & statum gratiæ, qui necessarius est ad fructum indulgentiarum percipiendum.

Demum suaderi potest conclusio quatuor rationibus. Prima est: Contritio est ultima dispositio ad gratiam sanctificantem, quam ex natura rei & necessitate comitatur: Sed gratia est incompossibilis cum peccato, saltem de lege Dei ordinaria: Ergo contritio secum deferat infallibiliter remissionem omnium peccatorum, nec ad illam obtinendam, absolutionem Sacerdotis expectat.

Secunda est: Charitas est perfecta amicitia inter Deum & hominem, ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 1. & nos fuisse ostendimus in Tractatu de virtutibus Theologicis: unde impossibile est quod peccator actum charitatis elegerit nisi ex parte Dei respondeat actus amicitie erga illum, juxta illud Prov. 8. *Ego diligentes me diligam*

Sed amor Dei erga hominem, infallibiliter adiunctam habet remissionem omnium peccatorum: Tum quia talis amor nequit esse sine gratia habituali, quæ cum peccato incompatibilis est: Tum etiam, quia talis amor reddit hominem Deo gratum & acceptum, quod non posset prestare, nisi haberet infallibiliter adiunctam remissionem omnium peccatorum, cum peccatum reddat hominem Deo exosum & abominabilem: Ergo actus charitatis adiunctam habet infallibiliter remissionem omnium peccatorum.

36. Tertia ratio: Deus non minus pronus est ad præmiandum, quam ad puniendum: Ergo sicut nullâ interpositâ morâ, statim post peccatum auferitur à iusto iustitia; ita nullâ interpositâ morâ, statim post contritionem restituitur peccatori iustitia seu gratia justificans, quæ fuerat per peccatum sublata, subindeque ipsi remittuntur peccata, quæ cum tali gratia & iustitia incompatibilia sunt.

37. Quarta ratio: Contritio non minorem habet virtutem in lege Evangelica, & post institutionem sacramenti penitentiae, quam habuerit in lege naturæ, & in lege Moisaica, ante hujus sacramenti institutionem: Sed in lege naturæ, & in lege Moisaica, contritio habebat vim statim iustificandi & remittendi peccata; tunc enim nullum erat sacramentum, quod redderet de attrito contritum: Ergo contritio eadem virtute pollet in lege Evangelica, subindeque ad obtinendam remissionem peccatorum, Sacerdotis absolutionem non expectat.

§. II.

Solvuntur objectiones.

38. Obijciunt primò: Christus Dicit 7 postquam auferuit Magdalenam dilexisse multum, ait: Remittuntur tibi peccata multa, quoniam dilexisti multum: Ergo præcessit tempore dilectio remissionem peccatorum, subindeque non eodem instanti quo est dilectio vel contritio, est peccatorum remissio.

39. Respondeo cum Bellarmino lib. 2. de penitentia cap. 14. Verba illa Christi de Magdala non cogere nos ut dicamus, illo ipso tempore peccata fuisse remissa illi dimissa, quo verba illa Dominus pronuntiavit; nam etiam postea interjecto aliquo temporis spatio, iterum Christus ait, Remittuntur tibi peccata tua, &c. Nec ramen debemus dicere bis eadem peccata fuisse remissa, Verba igitur Domini: Remittuntur ei peccata multa, &c. nihil aliud significant, nisi magnam dilectionem causam fuisse magnæ indulgentiæ, & ut S. Gregorius ait homil. 13. in Evangelio, magnam rubiginem peccati, magno charitatis igne fuisse purgatam. Addunt aliqui, Christum verbis illis confirmasse remissionem antea factam in instanti dilectionis & contritionis: Sicut cum Marci 5. dixit mulieri quam jam sanaverat à fluxu sanguinis: Esio sana à plaga tua, eo verbo eam non curavit, sed curationem jam factam confirmavit.

40. Obijciunt secundò illud D. Augustini Tract. 13. in Joan. Quantumcumque Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ portat. Non illi dimittitur, nisi cum venerit ad Baptismum. Quomodo non caruit populus Israel populo Aegyptiorum, nisi cum venisset ad mare rubrum; sic nec pressuris peccatorum nemo caret, nisi cum ad fontem Baptismi pervenerit: Sed par ratio est, ut

Tom. V.

peccata post Baptismum commissa non remittantur, antequam perveniatur ad sacramentum penitentiae: Ergo &c.

Respondeo, D. Augustinum intelligi posse primò de eo quod communiter fit, quia nimirum pauci Catechumeni habent ante Baptismum actum perfectum contritionis, idèdque communiter, & ferè omnes, manent in peccatis, donec baptizentur, Vel secundò intelligi posse de perfecta remissione peccatorum, quoad culpam, & quoad poenam integram, quam non habent ante Baptismum, tamen si contriti sint, quamvis enim per contritionem liberentur à reatu culpæ, manet tamen communiter aliquis reatus poenæ. Tertiò dici potest cum Bellarmino supra citato, Augustinum ibi loqui de Catechumenis, qui ad Baptismum accedere negligunt: hi enim ne quidem verum votum Baptismi habere possunt. Colligitur verò hæc responsio ex ipso textu, ait enim: Ne quis arrogans, id quod habeat abundantiam alicuius gratiæ, dedignetur baptizari Baptismo Domini: post quæ statim subdit, Quantumcumque enim Catechumenus proficiat &c.

Obijciunt tertiò: Si sola contritio peccata delet, hominemque iustificat, cur Tridentinum sess. 13. cap. 7. ad Eucharistiam dignè suscipiendam, præter contritionem, sacramentalem requirit confessionem, cum satis sit ad illam accedere in statu gratiæ, per contritionem obtineat?

Respondeo: meritò Concilium ad dignam susceptionem Eucharistiæ, non esse contentum solâ contritione in eo qui conscius est peccati mortalis, sed requirere insuper sacramentalem confessionem propter reverentiam tanto sacramento debitam; cum enim incertum valde sit, an semper peccator attingat illam contritionis perfectionem, quæ ad justificationem extra sacramentum requiritur, ob maximam difficultatem quam in se continet, meritò Concilium, ob reverentiam tanti sacramenti, certioram viam statuit, ut fideles per sacramentalem confessionem, in qua minor dolor requiritur, iustificati, ad hoc sacramentum accederent.

ARTICULUS IV.

In quo genere causæ contritio expellat peccatum:

In hujus difficultatis resolutione varia sunt Authorum placita: Vazquez enim existimans actum contritionis non dispositivè sed formaliter ad justificationem concurrere, consequenter asserit, contritionem non dispositivè sed formaliter concurrere ad expulsionem peccati. Scotus verò & ejus Discipuli docent contritionem dispositivè solum, non verò effectivè concurrere ad remissionem peccatorum mortalium. Ex Thomistis verò Soto & Nugno causalitatem esse activam, tam physicam, quam moralem in ordine ad expulsionem peccati, contritioni attribunt. Alii verò Discipuli D. Thomæ, admittunt quidem efficientiam moralem in ordine ad illum effectum, sed physicam negant.

§. I.

Duplici conclusione difficultas resolvitur.

Primo primò, contritionem non concurrere formaliter, sed tantum dispositivè, ad expulsionem peccati,

222

Pio

45. Probatur primò ex Tridentino sess. 14. cap. 4. A dicente, *contritionis motum preparare ad remissionem peccatorum si conjunctus sit cum fiducia divine misericordie*. Quibus verbis aperte docet contritionem esse dispositionem ad remissionem peccatorum; Sed forma non potest esse dispositio ad seipsam, cum inter dispositionem & formam exerceatur aliqua causalitas, subindeque inter illas reperitur realis distinctio: Ergo contritio non concurret formaliter ad remissionem peccatorum.

46. Probatur secundò: illud solùm expellit formaliter peccatum habituale ab anima, quod ipsi formaliter opponitur: Sed contritio non opponitur formaliter peccato habituali: cum enim illud consistat in privatione gratie habitualis, ut in Tractatu de peccatis ostendimus, sola gratia habitualis ipsi opponitur formaliter: Ergo contritio non expellit formaliter peccatum habituale ab anima, sed tantum dispositivè.

47. Probatur tertio: Eo modo concurret contritio ad remissionem seu expulsiōem peccati, quo concurret ad justificationem peccatoris: Atqui non concurret formaliter ad justificationem impii, sed tantum dispositivè: Ergo nec ad remissionem seu expulsiōem peccati. Major patet, justificatio enim remissionem seu expulsiōem peccati importat. Minor verò in Tractatu de justificatione variis rationibus contra Vazquem demonstrata fuit, quæ ibidem videri poterunt, sicut & argumenta Vazquezi, quæ ibi soluta sunt.

48. Dico secundò, contritionem in genere causæ efficiētis moralis, non verò physicæ, expellere peccatum mortale.

Prima pars manifesta videtur: Contritio enim per modum satisfactionis & compensationis ad remissionem peccati concurret: Atqui satisfactio pertinet ad genus morale, quia respicit peccatum sub ratione debiti remittendi, & offensæ expiandæ, quod totum sit secundum moralem æstimationem, & exigentiam juris, non secundum aliquam physicam actionem destruētem ipsum debitum, ut videre est in satisfactionibus humanis: Ergo contritio in genere causæ efficiētis moralis concurret ad remissionem peccati.

49. Dices, Si peccatum remitteretur à Deo intuitu satisfactionis, non remitteretur merè gratis, atque adeò justificatio non esset purè gratuita, contra illud Apostoli ad Roman. 3. *justificati grati per gratiam ipsius*.

Respondeo quod licet peccatum, prout est malum hominis, remittatur merè gratis à Deo gratiam infundente; tamen prout est malum Dei, & ejus offensæ, non remittitur merè gratis, si ly *gratias* excludat tantum meritum.

50. Secunda verò pars conclusionis, quam Soto & Nugno negant, existimantes contritionem effectivè physicè concurrere ad remissionem peccati, hac ratione suadetur. Nulla causa efficiens, physicè expellit aliquam formam, nisi producendo aliam, quæ formaliter expellit illam: Sed poenitentia seu contritio non producit effectivè formam expellentem formaliter peccatum: Ergo neque effectivè physicè illud expellit. Major est certa, quia expulsio seu corruptio est effectus secundarius agentis, non primarius; siquidem corrumpere est destruere, nulla autem causa effectiva primò & per se destruit, sed primò & per se facit, & ex consequenti destruit; quia si solùm destrueret, nihil efficeret. Minor verò probatur: Forma expel-

lens peccatum habituale, est gratia habitualis in essentia animæ residens, ut patet ex distinctione cunda probatione præcedentis conclusionis: Sed poenitentia seu contritio non producit effectivè gratiam habituale, illa enim sita solo Deo est: Ergo poenitentia seu contritio non producit effectivè formam expellentem formaliter peccatum.

Dices, quod quavis poenitentia seu contritio effectivè physicè non producat gratiam, tamen subiectum ut illi infundatur & concurret, & consequenter physicè expellit peccatum oppositum gratiæ: sicut homo dicitur effectivè gratiam hominem, & expellere oppositam formam à materia, quia disponit illam ad recipiendam animam rationalem, licet illam non producat.

Sed contra: Homo generans, licet non producat animam, tamen physicè unit illam materiam poenitentia verò seu contritio non unit gratiam habituale, hæc enim ex potentia obedientiæ animæ à Deo educitur, & ipsa educatione ei per infundentiam unitur. Item gratia infunditur misericorditer & gratuito beneficio poenitenti, non vero ex debito natu ali, sicut infunditur anima corpori disposito & organizato: Ergo licet homo dicitur concurrens effectivè physicè ad generationem hominis, & ad expulsiōem formæ oppositæ à materia, poenitentia tamen non potest dici concurrere per contritionem effectivè physicè ad productionem gratiæ, & expulsiōem peccati.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Contra hanc partem nostræ conclusionis, quæ fieri possunt instantiæ, quæ breviter proponendæ & diluendæ sunt, ut nihil teneat insolutum. Obijciunt ergo primò D. Thomas hic art. 2. ad 3. dicit poenitentiam efficiētem expellere omne peccatum, in quantum operatur ad destructionem peccati: quod licet cumque autem (inquit Nugno) loquitur D. Thomas de efficiētia intelligitur in genere physico, ut patet de Christi humanitate, & sacramentis, de quibus solus dicit D. Thomas quod efficiēter causant gratiam, & tamen explicatur communiter à Thomistis de efficiētia physica.

Secundò, Inter actum & habitum charitatis ex una parte, & habitum atque actum poenitentiae ex alia, debet quoad expulsiōem peccati assignari discrimen: Sed nullum est assignabile, si poenitentia & ejus actus non expellant effectivè physicè peccatum: cum enim dilectio Dei supernaturalis non minus sit satisfactio pro offensa, quam dolor elicitus à poenitentia habitus & actus charitatis efficiēter moraliter concurrunt ad illam expulsiōem, æquè ac habitus & actus poenitentiae.

Tertio, Docent Thomistæ communiter 2.2. quæst. 24. art. 10 quod omne peccatum mortale expellit charitatem & gratiam, non solùm efficiēter moraliter, sive meritoriè, sed etiam efficiēter physicè: Ergo cum sicut peccatum opponitur gratiæ, ita contritio opponatur peccato, ipsam expellit efficiēter physicè.

Quarò, Qui effectivè physicè causat habitum dispositionem physicam ad expulsiōem peccati, & productionem gratiæ, efficiēter physicè

physicè caulat gratiam, & expellit peccatum: Sed poenitentia caulat efficienter physicè ultimam dispositionem ad gratiam, & expulsionem peccati, scilicet contritionem: Ergo efficienter physicè caulat gratiam, & expellit peccatum. Minor est certa, Major probatur. Qui efficit ultimam dispositionem ad formam, censetur efficere ipsam formam: Ergo qui efficit physicè caulat ultimam dispositionem ad gratiam, & expulsionem peccati, efficienter physicè caulat gratiam, & expellit peccatum.

Ad primum dicendum, quod quando S. Thomas h. art. 1. dicit poenitentiam esse activè expellere omne peccatum, manifestè loquitur de efficientia morali, non verò de physica; subditemus, in quantum operatur ad destructionem peccati, prout est remissibile ex divina gratia, homine cooperante. Operari verò ad destructionem peccati, prout est remissibile, seu sub ratione remissionis, quæ est condonatio, est solùm effectivè moraliter illud expellere; quia remissio & condonatio, non physice, sed solùm moraliter expellit peccatum; cum remissio & condonatio non sit actio physica, sed moralis, sicut satisfactio & compensatio.

Ad secundum, nego Majorem, & ejus probationem; actus enim charitatis ex proprio motivo solùm habet diligere Deum super omnia, & consequenter odio habere peccatum, non verò pro ipso satisfacere, saltem ex proprio motivo; at verò actus poenitentiae habet de se formaliter ex proprio motivo satisfacere pro peccato.

Ad tertium, nego paritatem: disparitas est, quod peccatum actuale producit in anima effectum oppositum gratiæ, scilicet maculam, seu peccatum habituale, quod gratiæ & charitati privativè opponitur; at verò contritio nullum effectum oppositum peccato producit in anima.

Ad quartum, nego Majorem, & ad illius probationem, distinguo Antecedens: Qui efficit ultimam dispositionem ad formam, censetur efficere ipsam formam, quando forma resultat ex tali dispositione, concedo Antecedens: licet enim in naturalibus, quia forma ignis v. g. resultat ex positione ultimæ dispositionis, agens attingens per alterationem ultimam dispositionem, attingit etiam secundario ordine executionis ipsam formam. Quando forma non resultat ex illa dispositione, nego Antecedens, & Consequentiam; gratia enim non resultat ex actu contritionis, sicut forma ignis ex calefactione: cum enim per se peccati fundi, non resultat ex nostris actibus qui ad illam disponunt, sed educitur à Deo ex potentia obedientialium, ut in Tractatu de gratia ostensum est.

ARTICULUS V.

An remissa per poenitentiam culpa peccati mortalis, & reatu pænæ æternæ, maneat tamen aliquando reatus pænæ temporalis?

S. I.

Quibusdam præmissis veritas Catholica defenditur.

Uo ut certa & ab omnibus admittenda supponimus. Primum est, remissam culpam mortali per poenitentiam, defecto & semper remitti reatum.

tum poenæ æternæ: nunquam enim remittitur culpa, nisi infundatur gratia: gratia verò ex Tridentino sess. 6. cap. 4. constituit hominem filium Dei adoptivum, subindeque heredem regni coelestis, juxta illud Pauli ad Roman. 8. Si autem filii & heredes: Sed repugnat, saltem de lege ordinaria, ut aliquis sit hæres regni coelestis, & simul additus poenæ æternæ, alioquin simul esset dignus vita & morte æterna: Ergo repugnat, saltem de lege ordinaria, quod remissa per poenitentiam culpa peccati mortalis, remaneat in iustificato reatus poenæ æternæ.

Secundò ut certum & indubitatum supponimus, aliquando saltem, videlicet per contritionem excellentem, qualis fuit in D. Paulo, & in B. Magdalena tolli posse reatum poenæ etiam temporalis; cum enim debitum talis poenæ finitur sit, potest ab aliqua perfectissima satisfactione, atque adeo contritione, adæquari; cum nullum sit finitum, quod ab alio finito exæquari non possit.

Difficultas ergo solùm restat, quoad reatum istum poenæ temporalis, an aliquando saltem, in iustificato remaneat, remissa per poenitentiam in illo culpa peccati mortalis, & reatu poenæ æternæ? Lutherani enim & Calvinistæ negant culpam remissam ullum unquam remanere reatum poenæ temporalis, luendam in vindictam peccati præteriti. Ex quo inferunt, nullum esse purgatorium, nulla sacrificia, nullas indulgentias pro defunctis concedendas. Ut hic error confutetur, & veritas Catholica stabilietur & explicetur.

Dico breviter: Dimissa per poenitentiam culpa peccati mortalis, & poenæ æternæ reatu, peccatorem sepe remanere obnoxium poenæ temporalis luendam vel in hac vita, per actus satisfactorios, vel in alia, per supplicium purgatorii.

Conclusio est certa de fide; ac definita in Tridentino sess. 6. can. 30. his verbis: Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori poenitenti, ita culpam remittit, & reatum poenæ æternæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus poenæ temporalis exsolvenda, vel in hoc saculo, vel in futuro in purgatorio, antequam ad regna celorum aditus parere possit, anathema sit. Item sess.

14. cap. 8. sic habetur: Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin universæ poenæ condonetur: perspicua enim & illustra in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus præter divinam traditionem hic error quàm manifestissime revincitur. Illa verò exempla, ut notatur in margine, habentur Genes. 3. ubi Adam mortem dicitur subisse propter peccatum inobedientiæ, licet ante mortem obtinuerit peccati remissionem, fueritque de delicto suo eductus, ut dicitur Sapient. 10.

Ex Numer. 12. ubi foror Moysis ad illius orationem à peccato murmuris absolvitur, sed separatim septem diebus extra castra jubetur. Item Numer. 20. ubi terram promissionis ingredi prohibetur Moyses, propter diffidentiam quandam, licet ei remissa esset. Demum 2. Regum 12. Davidi peccatum adulterii & homicidii ita remissum fuit, ut tamen morte filii ex adulterio nati, aliisque poenis gravissimis punitus fuerit; non tantum ut caveret in futurum, vel ad terrorem aliorum, vel ad virtutis & patientiæ exercitium, ut respondens Hæretici, sed ut Scriptura loquitur, propter peccatum, & scandalum datum: Verum tamen quoniam blaphamare fecisti, propter verbum hoc, si quis qui natus est tibi, morietur inferre autem

tem poenam peccatori, quia peccavit, est punire A
proprie peccatum, & infligere poenas castigato-
rias, & non tantum medicinales. Unde Augu-
stinus in Plal. 50. circa illa verba, Ecce enim veri-
tatem dilexisti: Veritatem (inquit) dilexisti; id est
delicta impunita, etiam eorum quibus ignoscis, non
relinquisti.

64. Hujus veritatis nulla ratio à priori assignari
potest, quia hoc pender à sola ordinatione De-
i per fidem nobis cognita, qui sicut poena æter-
nam unà cum culpa mortali gratis semper remit-
tit, ita posset, si vellet, semper omnem poenam
remittere. Non decuit tamen semper ita fieri, sed
potius oppositum: Primum propter majorem ingra-
titudinem peccantis post Baptismum, & fidem
Christo datam. Secundò ut gravitas peccati mor-
talis magis apparet: quam rationem aliqui in-
sinuat Augustinus, dicens: Ne culpa putaretur par-
va, si cum ea finiretur & poena, prolixior esse
voluit poenam, quam culpam: temporalis enim
detinet poena, quem jam reum ad damnationem
non detinet culpa. Tertiò, ad tædandam peccati
licentiam, quæ major esset, si tam facile omnis
poena remitteretur. Unde Chrysostomus homil.
de poenitentia: Nec peccantes & multi maren-
tes, efficeremur deteriores, non remisit supplici-
um, sed vidis hoc manifestè, quod peccatis ipsis
non minus damnosum sit non puniri; & propter
hoc imponit poenam. Quartò, quia per actus la-
tisfactorios, quibus temporalem poenam extol-
vimus, reliquias peccatorum, viciososque habi-
tus male vivendo contractos, per contrarios
actus tollimus.

65. Has rationes eleganter exponit Tridentinum
sess. 14. cap. 8 his verbis: Sanè & divine iustitie
ratio exigere videtur, ut aliter à Deo in gratiam re-
cipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam de-
liquissent; aliter verò, qui semel à peccati & demonis
servitute liberati, & accepto Spiritus Sancti dono,
scientes templum Dei violare, & Spiritum Sanctum
contristare non formidaverint. Et divinam clemen-
tiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione pec-
cata demittantur, ut, occasione accepta, peccata
leviora putantes, veluti injuri & contumeliosi Spi-
ritui Sancto, in graviora labamur, thesaurizantes
nobis iram in die iræ. Proculdubio enim magnopere
à peccato revocant, & quasi freno quodam coercent
hæ satisfactoria poena, cautioremque & vigilantiores in
futurum penitentes efficiunt; medentur quo-
que peccatorum reliquiis, & viciosos habitus ma-
le vivendo comparatos contrariis virtutum actioni-
bus tollunt.... Accedit adhuc, quod dum satis-
faciendo patimur pro peccatis, Christo Tesu, qui
pro peccatis nostris satisfacit, ex quo omnis nostra
sufficiencia est, conformes effecimur, certissimam
quoque inde arrham habentes, quod si compatiatur
& conglorificabimur.

66. Præter has rationes, seu congruentias, duæ
aliæ assignari possunt. Prima est: Deus non solum
per peccatum offenditur ut privatus amicus,
sed etiam ut publicus legislator & Princeps: Er-
golicet ut privatus amicus gratis cum offensa re-
mittat poenam æternam, quæ cum amicitia stare
non potest; tamen ut publicus legislator relin-
quit aliquam poenam temporalem in ultionem
commissi lecleris, propter bonum commune
luendam. Sicut in humanis, remissa tota offensa
per acceptionem in amicitiam, adhuc potest of-
fensus ab offendente exigere aliquam satisfactio-
nem, ad resarciendum jus læsum publicæ justitiæ.

Alia ratio seu congruentia adducitur à D. Tho-
ma hic art. 4. & alibi, sicque potest breviter po-
ni. Sicut in peccato mortali duo sunt, scilicet
veritas à Deo, & conversio ad creaturam; ita & in
plex poena ipsi debetur; una æterna, quæ con-
spondet peccato ex parte aversionis; nam sicut po-
catum ex hac parte est quodammodo infinitum,
ita debetur ipsi poena quodammodo infinita
ra temporalis, quæ correspondet conversioni,
quæ finita est, & major vel minor pro qualitate
jecti, vel actus, quo peccator erga illud affectus
est. cum ergo in justificatione peccatoris, quando
mittitur culpa per gratiam, tollatur semper aversio
à Deo, anima enim semper per gratiam Deo con-
jungitur, consequenter semper tollitur reatus po-
næ æternæ; è contra verò, cum in justificatione
non semper tollatur conversio illa inordinata,
quam peccator habet ad creaturam, non semper
tollatur reatus poenæ temporalis, huiusmodi
conversioni correspondens.

Verum in hac ratione D. Thomas, difficile est
explicare, quid intelligat nomine inordinatae con-
versionis; si enim dicamus intelligere habitum
conversionem ad creaturam, quæ est ultimum finem,
impossibile erit salvare quod ablatà aversione, re-
maneat hæc conversio, cum impossibile sit, homi-
nem habere duos ultimos fines. Si vero dicamus,
per conversionem intelligi inclinationem habitua-
lem quam facit habitus virtuosus ad particularem ob-
jectum, non poterit verificari universalius in quo-
libet peccato mortali reperi inordinatam con-
versionem ad creaturam, quæ se habet velut ma-
teriale illius, ut ait S. Thomas: quia certum est, pec-
catum mortale non semper importare habitum in-
ordinatum etiam de materiali, ut patet in eo qui post
acquisitum habitum temperantia, committit pec-
catum mortale in temperantia; quia nullus habitus
voluntatis, sive bonus, sive malus, acquiritur unico
actu, sicut habitus intellectus, &c. scientia.

Respondeo cum Cajetano hic art. 4. & S. Thomæ
in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 4. D. Thomæ
inordinatam conversionem intelligere inordinati-
onem relictam ex conversione ad creaturam.
Pro cuius intelligentia, notandum est, duplicem
inordinationem esse in actu peccaminoso: prima
est illa quæ homo constituit suum ultimum finem
in bono creato, quæ inordinatio potius se tenet
ex parte aversionis, consistit enim in hoc quod
homo relinquit Deum, qui verè est ultimus finis
ut adhæreat alteri creaturæ. Secunda est, quæ ho-
mo percipit delectationem illicitam, in objecto
peccati plus nimium sibi indulgendo; & hæc se
tenet potius ex parte conversionis, quia delectatio
illa ex objecto sumitur; & de hac loquitur S. Tho-
mas, cum ait reatum poenæ temporalis inordinati-
onem conversioni correspondere.

Adverte autem ad majorem hujus rationis in-
telligentiam, quod quando S. Thomas dicit
prædictas poenas damni & sensus aversionis &
conversionis quæ in peccato mortali reperiuntur,
hoc solum facit per quandam analogiam & ac-
commodationem; nam quia conversio est quod-
dam inordinata adhesio voluntatis ad bo-
na creata, tribuitur ipsi poenæ sensus, quæ in-
dignatur mediis creaturis; aversioni verò tribu-
tur poena damni, quia utraque consistit in re-
cessu & separatione à Deo; cum tamen revera opposi-
tæ ex illis malitiis seu formalitatibus quæ in
peccato mortali reperiuntur, utraque hæc poena
simul respondeat: sicut in divinis poenis
tribuitur.

tribuitur Patri, sapientia Filio, & amor Spiritui Sancto, quamvis hæc attributa his tribus personis communia sint.

§. II.

Solvuntur objectiones hæreticorum.

71. **C**ontra veritatem Catholicam paragrapho præcedenti explicatam, obijciunt prius hæretici ex Scriptura illud Ezechiel. 18. ubi narrat peccatoris poenitentia subditur: *Omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.* Item istud cap. 33. *Impietas impiis non nocet ei in quacumque die converteris fueris ab iniquitate tua.* Præterea hunc locum Apostoli ad Rom. 8. Nihil ergo nunc damnationis est in iis qui sunt in Christo Jesu. Sed, inquit, Sectarii, recordaretur Deus iniquitatum peccatoris, ipsaque impietas noceret impio, & aliquid damnationis in iis qui sunt in Christo Jesu remaneret, si culpæ remissæ, superesset poenæ temporalis luenda: Ergo remissæ per poenitentiam culpæ peccati mortalis, & poenæ reatu, non remanet reatus poenæ temporalis. Unde Tertullianus lib. de Baptismo cap. 5. ait, *Exempto reatu, eximitur & poena.*

72. Respondeo in duobus prioribus Scripturæ locis, Prophetam comparare justum & impium in ordine ad vitam æternam: quare sensus eorum est, quod quemadmodum si justus peccaverit, justitia ejus non proderit ei ad vitam æternam, & Deus quasi illam obliviscitur: ita similiter, si peccator agat poenitentiam, Deus non recordabitur iniquitatis ejus, nec ipsa ei nocet, in ordine ad vitam æternam. Cum quo stat, quod Deus adhuc illius recordetur, in ordine ad debitum poenæ temporalis.

73. Ad locum Apostoli dicendum, quod licet remissæ per poenitentiam culpæ peccati mortalis, & poenæ æternæ reatu, maneat aliquando reatus poenæ temporalis, nihil tamen damnationis est in iustificatis; poena enim temporalis ad salutem relicta, ut scilicet homines ejus consideratione cautiorem fiant, & peccandi licentiam cohibeant, damnatio dici non debet; quomodo enim damnatio dicitur, id quod est causa salutis, & evasione ipsius damnationis?

74. Ad Tertullianum verò respondeo ipsum locum citato loqui de Baptismo, & de poenæ æternæ, sic enim habet: *Nunc quotidie populos conservant (aque Baptismi) deletæ morte per ablutionem delictorum. Exempto scilicet reatu, eximitur & poena.*

75. Obijciunt secundo: Christus plenissime pro nobis satisfecit, ejus enim satisfactio non solum fuit condigna & æqualis offensæ, sed etiam superabundans & excedens, ut in Tractatu de Incarnatione fuse ostendimus: Sed obligatio ad poenam temporalem, non obstante justificatione peccatoris, plenitudinis & superabundantiæ redemptionis & satisfactiois Christi derogare videtur: ad eam enim pertinet quod non solum culpam & poenam æternam peccato mortali debitam, sed etiam poenam temporalem pro ea in hac vita vel in purgatorio luendam tollat: Ergo remissæ per poenitentiam culpæ, & poenæ æternæ illi debite, reatus poenæ temporalis non remanet. Unde Christus in hac vita legitur Magdalene & Latroni poenitenti, multisque aliis remississe peccata, nulli tamen injunxisse aliquam satisfactioem ad luendum poenam temporalem peccatis illorum debitam.

Respondeo, concessa Majori, negando Minori. 76. rem; ad perfectionem enim & plenitudinem satisfactiois Christi solum pertinet, quod sit plenissima quoad sufficientiam remissionis omnium peccatorum, quoad culpas & poenas; non autem quod poenam etiam temporalem de facto tollat, nisi quando plenè applicatur, ut contingit in Baptismo & martyrio. Christus enim satisfecit pro nobis ut causa satisfactiois universalis, applicanda singulis per propria cooperationem: modus autem proportionatus liberæ naturæ est, ut sicut liberè deliquit, ita liberè sibi applicet causam satisfactiois.

Ad illud quod subditur de Christo, dicendum 77. est, Christum sic egisse cum aliquibus, puta cum Magdalene & Latrone poenitente, tum quia talem de peccatis eis contritionem inspiraverat, quæ sufficiebat ad remissionem omnis poenæ, etiam temporalis: tum etiam quia ad clementiam & mansuetudinem Christi declarandam, decebat, ut aliquibus peccata, tam quoad culpam, quam quoad poenam, etiam temporalem, liberaliter remitteret; sed hanc specialem prærogativam noluit ad omnes poenitentes extendere, ob rationes seu congruentias supra ex Tridentino adductas.

Obijciunt terriò: Poenitentia vim habet remittendi poenam æternam: Ergo multò magis habet vim remittendi omnem poenam temporalem, quod facilius est. Præsertim cum Baptismus & martyrium tale privilegium habeant, nec solum culpam & poenam æternam peccato mortali debitam tollant, sed etiam omnem poenam temporalem, ut docuimus in Tractatu de Baptismo; unde baptizandis nulla ab Ecclesia injungitur satisfactio vel poenitentia pro peccatis ante Baptismum commissis: quia ut ait Ambrosius ad Roman. 11. *Gratia Dei in Baptismo omnia condonat, & non querit gemitus aut plañctum, aut opus aliquod, nisi solum ex corde professionem.*

Respondeo, concessa Antecedente, negando 78. Consequentiam; contritio enim aut sacramentum Poenitentiae, non habet vim remittendi poenam æternam, præcisè ex natura sua, sed dependenter à voluntate Dei & institutione Christi, qui non necessariò si remittit unum, debet remittere & alterum. Ex quo patet responsio ad exemplum de Baptismo, ratio enim cur Baptismus prædicto privilegio gaudeat, est sola voluntas Dei, institutio Christi, qui tantam voluit gratiam conferre Baptismo, ut omnem culpam & poenam & etiam temporalem auferret, quia nimirum instituit hoc sacramentum per modum regenerationis spiritualis; atque adeò sicut in generatione corporali (in sententia Divi Thomæ & Discipulorum ejus) sic resolutio usque ad materiam primam, ita ut nullum accidens, quod erat in corrupto, maneat in genito, & nullum accidens ad generationem spirituales pertinet, debet remanere in homine per Baptismum regenerato, sive quoad culpam, sive quoad poenam. Unde Chrysostomus homil. 24. in Joan. *In aqua Baptismi tanquam in sepulchro caput immergentibus, vetus homo sepelitur, emergentibus inde novus resurgit.*

Idem privilegium tribui voluit Deus martyrio, tum quia est opus maximè arduum & difficile, & actus excellentissimæ dilectionis, tum etiam quia cum sit perfecta imitatio passionis Christi, ei specialiter applicare voluit Christus virtutem suæ passionis.

Obijciunt

90. Obijcies quoddam: Sublatâ causâ tollitur effectus: Sed culpa peccati est causâ reatus pœnæ tam æternæ quàm temporalis, remittiturque omnino per pœnitentiam peccatum quoad culpam: Ergo & quo ad pœnam, sive temporalem, sive æternam.

91. Respondeo peccatum esse quidem causam reatus pœnæ temporalis, sed præcisè quoad fieri ipsius, non verò quoad ejus conservationem; quare non est mirum, quod peccato omnino quoad culpam remisso, ejusmodi reatus relinquatur & conferretur: sicut mirum non est, quod sublatò & defuncto patre, filius adhuc remaneat & vivat.



DISPUTATIO IV.

De remissione peccatorum venialium.

Ad questionem 87. D. Thomæ.

Cum pœnitentia, non solum peccata mortalia, sed etiam venialia remittere valeat, ut omnes ejus effectus explicemus, præcedenti disputationi istam subjungimus, in qua de remissione peccatorum venialium breviter disseremus.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum ad remissionem peccatorum venialium, necessaria sit aliqua pœnitentia interior, eaque debeat esse formalis, vel sufficiat virtualis?

§. 1.

Referuntur sententia: & vera eligitur, & duplici conclusione explicatur.

1. In hujus difficultatis resolutione duæ sunt extremæ sententiæ, & alia media. Scotus enim, Gabriel, & alii, negant esse necessarium ullum actum pœnitentiæ, etiam virtualis, ad remissionem peccatorum venialium, & ad eam sufficere existimant quemcumque actum bonum, qui magis placeat Deo, quàm displiceat peccatum veniale, licet ad ejus remissionem non ordinetur. Durandus contra asserit necessarium esse actum pœnitentiæ formalis ad remissionem peccati venialis. Alii verò Theologi, tam domestici, quàm extranei, cum S. Doctore hic art. 1. docent, ad remissionem peccatorum venialium, necessarium quidem esse aliquem actum pœnitentiæ, illum tamen non debere esse actum pœnitentiæ formalis, sed sufficere actum pœnitentiæ virtualis. Pro hac opinione, & contra præcedentes.

2. Dico primò, ad remissionem peccatorum venialium non sufficere quodcumque opus bonum & meritorium vitæ æternæ, sed requiri necessariò aliquem actum pœnitentiæ. Ita D. Thomas hic art. 1. ubi sic discursit: Remissio culpa fit per conjunctionem hominis ad Deum, à quo aequaliter separatur culpa: Sed hac separatio perfectè quidem fit per peccatum mortale, imperfectè autem per peccatum veniale; nam per peccatum mortale mens omnino à Deo aver-

titur, utpote contra charitatem agens; per peccatum veniale retardatur affectus hominis, utpote in Deum feratur. Et idè utrumque peccatum remissionem requiritur, quia per utrumque detrahatur voluntas hominis, per immoderatam conversationem ad bonum creatum. Sicut enim peccatum mortale remitti non potest, quando voluntas peccati adhæret: ita etiam nec peccatum veniale, quia non remittitur, manet effectus. Quibus venialibus insinuat rationem, quâ probatur primò non conclusio. Peccatum veniale causat aliquam dispositionem in voluntate hominis, non quatenus circa ultimum finem, sed circa mediocris intentionem ad bonum creatum, per immoderatam conversationem ad bonum creatum; unde ad remissionem peccati venialis requiritur quod talis dispositio reparetur sive tollatur: Sed tolli nequit, nisi per aliquam pœnitentiam sive displicentiam delectum, quia nihil expellitur nisi à suo contrariis: tum quia quando voluntas actus per virtutem peccati actum pœnitentiæ non retrahat inordinatè illum affectum ad creaturam, semper mortaliter censetur perseverare in illo; nam quando non retrahat actum quem semel elicit, semper censetur velle illum: Ergo ad remissionem venialium, aliquis actus pœnitentiæ requiritur.

Probat ut secundò conclusio: Cum peccatum sive mortale sive veniale non remittatur, sed de facto, & per solam non imputationem, sed per intrinsecam condonationem, sed per actum voluntatis ipsi contrariam, sive cum eo incompabilem, illi actus duntaxat suffiunt in homine, ut sufficere possint cum peccatis illis: Sed non quod hoc opus meritorium est impossibile cum peccato veniali, aliis enim remanens in tali peccato, nihil omnino meretur: Ergo ad remissionem peccatorum venialium, non sufficit quodcumque opus bonum & meritorium vitæ æternæ, sed requiritur necessariò aliquis actus pœnitentiæ.

Confirmatur: Si quodcumque opus meritorium sufficeret ad remissionem peccati venialis, vel quia æquè aut magis placeret Deo, quàm peccatum veniale displiceat, ut dicit Scotus; vel quia facit hominem magis amicum Deo, & dignum majori gratiâ & gloriâ? Non primò, aliis enim aliquando aut nullum remitteretur peccatum veniale, aut innumera, si essent, remitterentur tantum actum meritorio; quia non est major ratio quare hoc potius quàm illud remittatur, præsertim quando sint æqualia inter se; quod tamen nec de actu quocumque charitatis concedunt Doctores. Nec etiam secundum, quia quodcumque gratia sit intensa; non habet incompabilitatem cum peccato veniali.

Dico secundò, ad remissionem venialium non requiritur necessariò pœnitentia formalis, sed sufficit virtualis. Ita S. Thomas articulo citato, ubi post verba superiori conclusione adducta, subdit: Exigitur autem ad remissionem peccati mortalis, perfectior pœnitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem venialium peccatorum. Non tamen sufficit debet virtualis displicentia, quia habetur per habitum charitatis, vel pœnitentiæ virtutis; quia si charitas non compateretur peccatum veniale, quod potest esse falsum. Unde sequitur quod requiritur quodammodo